



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 102. Synodi Coloniensis decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

lares teneantur quidem celebrare Fe-
 stum de dedicatione Cathedrali, sed
 duntaxat sub ritu duplici, secundæ
 classis & sine octava. Petitum quoque
 fuit declarari, an Episcopus possit sta-
 tuere diem Dominicam ad celebran-
 dum festum, Officium & Missam cujus-
 dam S. Martyris, de quo asservatur in-
 signis Reliquia in Ecclesia, & an Ti-
 bia sit insignis Reliquia? ad primum
 respondit eadem S. Congregatio, ne-
 gando, nisi Reliquia sit de sancto, qui
 habetur in Martyrologio Romano &
 constet de identitate Reliquiæ ejusdem
 sancti; ad secundum pariter respondit
 die tertia Junii negative. Die autem
 vigesima sexta Junii declaratum, quod
 Abbates Pontificalia etiam extra eorum
 Ecclesiam exercere valeant, si de ejus-
 modi privilegio constet. Denique S.
 Concilii Congregatio decidit, quod
 Episcopus in primo ingressu visitationis
 Episcopalis Regulares compellere ne-
 queat, ut processioni cum Clero sæcu-
 lari pro hujusmodi ingressu specialiter
 indictæ intersint.

§. CII.

Synodi Coloniensis decreta.

Hoc item anno Maximilianus Henri-
 cus Coloniensis Archiepiscopus at-
 que

Yy 3

que

Sæc. XVII.
 A. C. 1662.

Sæc. XVII. que Elector die vigesima Martii suam
 A. C. 1662. inchoavit Synodum Diæcesanam, ad
 quam, ne Ecclesiastici suis e terris ac-
 cederent, inhibuit Elector Brandebur-
 gicus: nihilominus præfata die inchoata
 fuit, cujus hæc decreta memorata de-
 gniora erant sequentia. I. Ad concilia-
 andum in Monialium etiam exemptarum
 Ecclesiis Regulares quoque spe-
 cialiter approbentur, II. Magistratus
 requiratur, ut in illos, qui hæreticos
 aliosque pravos libros invehunt, se-
 vere animadvertatur. III. Proferantur
 vana observantia eorum, qui certo
 Missarum numero vel precum aut can-
 delarum forma semper certas animas
 e purgatorio liberari affirmant. II.
 Miracula nova, si quæ congregate pu-
 tantur, non evulgentur, sed significen-
 tur Episcopo. V. In carniū abstinē-
 tia ob corporis debilitatem dispensatis
 etiam plures refectioes concessæ cen-
 seantur, ob alias autem causas dispen-
 sati una carniū refectioe contenti
 sint. VI. In Baptismo trina ablutio
 ob magis expressam SS. Trinitatis si-
 gnificationem observetur. VII. Pœni-
 tentes genuflexi & gladiis discincti con-
 fiteantur, & Confessarius sedens tecto-
 que capite confessiones excipiat &
 Pœnitens Confessarium ad turpia solli-
 citantem denuntiet. VIII. Religiosi,

qui in monasterio, ubi degunt, si ni- Sæc. XVII.
 mis importune a suis consanguineis visi- A. C. 1662.
 tarentur, ad alia monasteria transferan-
 tur. IX. Observentur decreta summo-

rum Pontificum circa Sacramentorum
 administrationem, hancque in rem Sy-
 nodus ad verbum inferuit Innocentii X.
 Constitutionem circa dubia a Joanne
 de Palafox Angelopolitano Episcopo
 contra Iesuitas proposita, ac decisa.
 X. Dilectia inter Parochos & Regula-
 res circa Missæ auditionem in diebus
 Dominicis, & confessionis in Paschate
 tollatur.

Eodem quoque anno Bernardus a
 Gallen Monasteriensis Episcopus Syno-
 dum celebravit, in qua sanctiones prio-
 rum Synodorum innovans statuit, ut
 supplicationes longiores contrahantur,
 nec propterea sacri auditio negligatur.

§. CIII.

Initia severissimæ disciplinæ in Abba- tiam de la Trappe invecitæ.

Ad hunc annum revocantur primor-
 dia severissimæ disciplinæ, quam
 Armandus Joannes Buthillierus in Ab-
 batiam de la Trappe introduxerat. Hæc
 jam anno Christi millesimo centesimo
 quadragesimo die decima septima Se-
 ptembris in valle quadam, cui nomen

Descript.
de l'Abb. de
la Trappe
Hode vie
de Louis
XIV. tom. 2.
Heliot Hist.
des Ord.
Mon. t. 6.
la pag. 1.

Yy A

la pag. 1.